Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Johannis Mulmanni, SS. Theol. dum viveret, Licent. ejusdemq[ue] Prof. Publ. ord. ad D. Nicolai Archi-Diac. & Alumnorum Electoralium Ephori, in Academia & Ecclesia Lipsiensi, Commentarius In Librum ...

Mülmann, Johann

Dresdæ, MDCCI

VD18 10367071

Caput XIII.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18377

Visual Library

ctum sæpè fecit. Propter studium historiarum tanti fecit *Alexander* poëmata Homeri, ut dormienti sibi supponeret. Et *Alphonsus* opt. autorum libros pro fidelissimis consiliariis habuit.

CAPUT XIII.

INcipit *secunda pars totius libri Josuæ.* Hactenus enim *bella sub Josue gesta descripta sunt*: posthac audiemus, *qvomodo terra Israeli distributa fuerit.* Atq; in hoc 13. c. repetitur distributio terræ orientalis trans Jordanem, qvæ Ruben, Gad & Manasse tribui dimidiæ obtigit.

Partes ejus sunt duæ: I. προσαιτικὴ, in qva DEus distribuendi officium Josuæ demandat usq; ad v. 7. II. Est ἐξηγητικὴ; in qva distributio Orientalis Palæstinæ â Mose instituta recensetur.

v. 1. Josue senex) Mandato suo de distribuenda terra præmittit Deus προκατάληψιν seu *tacitam Objectionem*, ob qvam Josue animo admodum macerari ac consternari poterat. Notetur 1. ὑποφορά. 2. ἀνθυποφορά. ὑποφορὰ est: *Restant multæ amplissimæ regiones adhuc bello occupandæ & devincendæ. Ego autem qvi sum senex & à morte propè absum, devincere eas non potero*: Ergo & Cananæi superstites non ejicientur & distribuendæ terræ munus mihi commendari non potest. Seqvitur ἀνθυποφορὰ v. 6. *Ego sum*, dicit DEus, *qvi delebo eos. Tu hanc terram haud secus atq; devictam in hæreditatem referto.*

Jo-

Josue senex provectæq; ætatis) Hebr. *Josue senuit, venit in dies:* Significatur, qvod Josua & externo habitu corporis & copiosâ annorum accessione consenuerit.

Scisciturari v. exactè *annum senectutis* Josuæ, qvem mandati hujus accepti tempore egit, in subsidium vocamus pro fundamento 48. annos, qvorum fit mentio 3. Reg. VI, 1. & numerantur illi ab exitu Israelitarum, unde Moses, Josue & reges omnes usqve ad qvartum annum regis Salomonis templi extructoris imperavit.

Jam ab hoc numero annorum detrahe ordine 40. annos imperii Mosis, qvod patet ex numero ætatis suæ Exod. VI, 7. & Devt. XXXIV, 7. It. 299. annos omnium Judicum ab Othoniele usq; ad Samsonem (inclusive) qvorum successionem vide in libro Judicum. Præterea detrahe 40. annos sacerdotis Eli. 1. Reg. IV, 18. Ett iterum 40. annos Samuelis & Saulis conjunctorum Act. XVII, 21. Qvin & 40 annos imperii Davidis 2. Reg. V, 4. Et tandem tres annos Salomonis. Manent jam de annis 480. 18. tam diu imperavit Josue in bello & pace. Sed de his 18. annis iterum deme 7. annos militiæ: restant 11. qvos ab universa summa ætatis Josuæ 110. annorum si aufers, habes annum, in qvo DEUS ipsi distributionem terræ demandavit.

v. 2. Omnis videlicet Galilæa.) In Hebræa lingva non est גְּלִיל nomen proprium singulare, qvod Galilæa verti solet, sed גְּלִילוֹת plu-

rale appellativum, & exponitur de regionibus earumq; terminis für die Marck.

Etsi autem Lutherus â veteri versione recedere noluit: tamen obstant gravissimæ rationes, qvò ejusmodi vocis acceptio minus commoda videatur.

1. Qvia in c. 11, 7. audivimus, Josuam Cananæos Septentrionales & Orientales ab aqvis Merom, qvæ sitæ sunt ad fines Galilææ inferioris usq; ad Sidonem magnam aqvas calidas & vallem Mizpe, fugâ persecutum esse, ubi necesse fuit, cum exercitu suo utramq; Galilæam perrupisse.

2. Cepit etiam Asor v. 10. ejusdem capitis, & Zedes cap. XII, 33. & omnes per circuitum civitates, qvæ nullæ aliæ fuerunt, nisi Galilææ. Et Kades in Galilæa sita expressè legitur Jos. XX. 7. & XXI, 23. Hæc cum textu conciliari non possunt, si is de Galilæa regione exponatur.

II. Ratio est. Qvia non extat exemplum manifestum in scriptura, ubi Galilæa apud Hebræos nomine pluralis numeri vocetur, sed Joëlis c. III, 9. verba hæc כל גְּלִילוֹת פְּלֶשֶׁת redduntur *omnes termini Palæstinæ.*

III. *Chaldæus* qvoq; interpres cum recentioribus Theologis opinioni de hac expositione per limites facta subscribit.

v. 2. Philistini) *Philistæi* sunt populi oriundi â Mizraim nepote Noæ, Gen. X, 6. & 4. Atqve ab his tota terra Canaan dicta est Peleschet seu Palæstina Joël cap. III, 9. Qvemadmodum & apud *Ptolomæum* lib. 5. cap. 16. Geographiæ. Nomen acceperunt

runt â פרש *i. e. volutavit se in pulvere.* Nam populi isti devolutati erant in omni genere idololatriæ & sceleris.

Universa Gessuri) duplicis fit Gessuri mentio in scriptura. *Una* est in Oriente trans Jordanem post lacum Sammachoritem, de qva nuper audivimus cap. XII, 5. *Altera* est tractus Idumæam Ægypto per solitudinem Sur annectens, de qva in præsentiâ agitur.

v. 3. A fluvio turbido) *Lyra* hac descriptione notari putat *Nilum*, qvi Ægyptum inundat, unde admixtionem terræ contrahendo turbidus fit: Sed Nilus non attingit fines Palæstinæ terræ: eam ab Ægypto disterminans, qvod in Hebræo est: *Esse super faciem Ægypti.* Qvare alii rectius verbum שיחור accipiunt pro proprio nomine, intelligentes fluviolum, qvi versus meridiem scaturiens propè urbem maritimam Rinolocuran in mare effunditur: Uude *Ptolomæus* qvoqve eundem fluvium Rinocolurum nuncupat: Accepit nomen â subnigro & fusco colore. Nam שחר est, *obscurus fuit.*

v. 3. Usq; ad terminos Acharon.) *Acharon sive Ekron* oppidum est trans Sorec fluvium, non procul ab Azod Septentrionale latus Philistæorum definiens, cum qvinq; principatibus & qvinqve urbibus mari mediterraneo adjacentibus appellatus, ut sunt Gaza, Gad, Ascalon, Azod, Acharon. Sed videtur in textu Sextus principatus addi, qvi est Aveoron? Resp. Comprehenditur iste sextus tanqvam ignobilior sub aliqvo cœterorum, fortasse sub Gazæis, qvibus

bus vicini fuerunt Avvæi. Atq; hâc procul dubio de causa non fit mentio infra Avvæorum in repetitione horum principatum 1. Reg. VI, 17. Est autem *Gaza* celebre emporium in littore Philistinorum versus meridiem, qvo merces Arabiæ Felicis per Camelos ex Haila transvehi solebant: unde per mare mediterraneum in universam Europam distribuebantur.

v. 4. Ad meridiem verò Hevæi) Redundat לו *Hevæi*. Nam qvando Hevæi illi ad radices Hermon devicti sint, audivimus suprà cap. XI, v. 3.

Maara Sidoniorum) Terræ nondum captæ limites ponit Septentrionales. מערה *speluncam* significat: unde nonnulli appellativè exponunt. Nomen accepit procul dubio â convallïis inter Sidonem & Hermon montes.

Amorrhæorum termini) Sunt longè supra Sidonem positi termini, videlicet Nagora fluvius & Berithus.

v. 9. In vallis medio) Hebraicè: *in civitate, qvæ est in medio torrentis*; aut est Achie, aut Madian, metropolis torrenti Arnon versus meridiem superstructa, ubi in mare salsum influit. Chaldaicæ paraphraseos interpres legit Kartha vel proprium nomen. Medaria verò & Dibon sunt urbes ad ejusdem ripam sitæ versus Septentrionem.

v. 15. Dedit Moyses tribui filiorum Ruben) Hujus terræ termini orientales sunt â me-

meridie versus septentrionem Lasa, Aroër usq; Dibon: meridionales ab occasu versus ortum Bethjesimoth, Kiriathjearim, Mephaath: Occidentalis est Jordanis fluvius: cæteræ urbes tanqvam contenta introducuntur.

v. 24. Dedit Moyses tribui Gad) Termini principales sunt: ab Oriente Gaza versus meridiem usq; ad Aroër, ex parte montis Rabba: â meridie Hesibon: â septentrione Ramath, Mispe, Bethonim, Machanaim: ab occasu Jordan â Debir usqve ad mare Cinnereth.

v. 29. Dedit dimidiæ tribui Manassæ,) Hujus tribus termini sunt: â meridie Machanim: ab oriente Edræi & Astaroth: â Septentrione cuncta regna Og, de qvibus dictum est c. XII, 4. Ab occasu Jordan.

QVÆSTIO I.

An Josue universam terram Palæstinam occupaverit?

Videtur hoc in præcedentibus *affirmari*.

I. Nam cap. XI, 8. audivimus, omnes reges ab Aqvilone, Oriente & Occidente, cum turmis suis adversus Israelem in aciem prodiisse, qvos Josue persecutus est usq; ad Sidonem magnam, thermas & Mizpe: *percussit omnes nullis dimissis reliqviis* v. 8.

II. Omnes præterea civitates bellando vi cepit v. 20. De montanis Hebron videbimus cap. 14.

III. Cap. X, 40. dicitur Josue percussisse omnem terram montanam & meridianam â Kadesbarnea usqve ad Gazan: omnem terram Gosen usq; ad Gabaon &c. Gaza verò est urbs Philistæorum.

Negatur.

I. Contra in hoc 13. capite restare legimus omnem terram Philistæorum v. 2.

Ergo etiam Gazan.

II. Omnem terram Canaan ad meridiem. v. 4.

III. Omnes inhabitatores Sidonis â Libano usq; ad Thermas, Apheca & terminos Amorrhæorum v. 2. & 3.

SOLUTIO.

Resp. ad affirmativæ opinionis *argumentum primum*: Dicuntur reges omnes intulisse bellum Josuæ locutione *Synecdochica*, qvia tanti erant illorum exercitus & turmæ, ut essent similiores omnibus, qvàm multis; unde etiam arenæ maris comparantur. Qvod de Sidone, Thermis & Masphe additur, id accipi debet de termino persecutionis Josuæ, non qvod ipsa qvoqve eversa sint.

Resp. *ad secundum* cum *Augustino* ex qvæst. super Josue: *Aut intelligendum est, Josuam ad nullam civitatem bellando accessisse, qvam non ceperit: aut certè nullam non captam esse, scilicet earum, qvæ in regionibus suprà commemoratis fuerunt. Enumeratæ sunt enim regiones, in qvibus fuerunt civitates, de qvibus facta est ista conclusio: Et omnes cepit &c.*

Resp.

Resp. *ad III.* idem qvod ad primum: Etiam, Gaza ponitur non inclusivè, sed ut terminus factæ devastationis &c.

QVÆSTIO II.

An omnis terra Canaan versus meridiem devastationibus Josuæ excepta fuerit?

Resp. Cum affirmativa responsione pugnant omnes præclaræ victoriæ, qvas Josue in terra Canaan ad meridiem adeptus est, & inprimis audivimus cap. X, 40. Omnem terram meridianam (Hæc autem nulla alia est, qvàm Canaan) devastatam esse. Contra in hoc capite v. 4. legimus, ad meridiem omnem terram Canaan relictam esse i. e. non esse vastatam â Josua.

SOLUTIO.

Præ se ferunt hæc manifestam contrarietatem, qvam *Scholastici* tollere valdè desudant, sed vix tollunt.

Abulensis respondet I. omnem Canaan exponendo de Philistæorum urbibus, sed ineptè: Nam textus opponit urbibus Philistæorum universam Canaan istam. Addo, qvod eædem potius ad occasum sitæ fuerint.

II. Omnem terram Canaan ad meridiem sic exponit, qvod etiam reliqva terra Canaan, adhuc devincenda ad meridiem sita fuerit: verum nodum nondum solvit. Qværitur enim adhuc: An meridiana

ista omnis fuerit relicta? At *Hugo* (Cardinalis Pontificius) qvod verbo obscuro significare videtur, accipit eà, qvæ de hisce regionibus ac locis reliqvis in textu recitantur, *non collectivè, sed in sensu distributivo*, h. e. non numerat ea in universum inter reliqvias terræ eversæ, sed eorum aliqva ad terram nondum devictam, aliqva ad non distributam refert, ut sit sensus: omnis terra Philistæorum occidentalis, nec non Septentrionalis & omnis terra meridiana Canaan restat, illa qvidem adhuc debellanda, utraq; verò adhuc distribuenda & inhabitanda.

Hæc expositio conformis est *Hebræo textui*, qvi sic habet v. 1: *Terra relicta est multa valdè ad possidendum eam*: Ubi ambigua est vox *possidendi*: Nam vel de occupatione vel de distributione ad habitandum: seu ut clarius dicam, vel de πολεμικῇ & bellica; seu de politica & civica possessione intelligi potest.

Nam licèt Israelitæ totam terram Canaan possiderent, ut victores & dominatores, qvemadmodum tribus Ruben, Gad & Manasse orientalem terram trans Jordanem possidebant habitando ac fruendo. Huc pertinent verba v. 7. *Nunc divide terram in possessionem*. Posteriore sensu de terra Canaan, utroq; verò de populis nondum expulsis accipi potest, qvos DEus ipse suo tempore expulsurum se promittit. Qvare sine omni cunctatione & dubitatione jubet Josuam amplissimum terræ dividendæ laborem aggredi.

2. Cum Judic. III, 3. Omnis Cananæus dicatur relictus esse post bellum: signum universale (*omnis*) accipiatur vel restrictum â prædicato hoc sensu: relictus est omnis Cananæus scilicet qvi relictus est, ut

Joh.

Joh. I, 9. *Christus illuminat omnem hominem*, scilicet qvi illuminatur: Vel accipiatur non καθολικῶς, sed πληθυντικῶς i. e. non de universalitate, sed multitudine: ut textus explicat v. 1. *Terra relicta est multa valdè*; Sic multa valdè terra Canaan relicta est versus meridiem. Hæc pro nostra tenuitate, meliora proferentem libentius audiemus.

QVÆSTIO III.

An Levitis possessio data sit?

Affirmatur hoc modo:

Cui 48. civitates cum suburbanis suis ad habitandum perpetuò & omnes decimæ ad fruendum dantur, ei datur possessio. Atqvi Levitis dantur 48. civitates cum suburbanis & omnes decimæ &c.

E. Levitis datur possessio.

MAJOR est manifesta: Qvod enim qvis jure perpetuò possidet, id pro ejus possessione habetur.

Probatur MINOR ex Jos. XXI, 41. & ex Num. XVIII, 21. Filiis Levi dedi, inqvit DEus, omnes decimas Israelis in possessionem pro ministerio, qvo serviunt mihi.

Negatur.

Contrarium textus asserit in hoc capite v. 14. *Tribui Levi non dedit possessionem.*

SOLUTIO.

Resp. ad argumentum sententiæ negativæ: Textus

tus agit de possessionibus continuæ terræ primariis, qvæ fuerunt in 12. partes divisæ, qvarum nulla contigit Levitis: Non autem loqvitur textus de possessionibus terræ intermissæ, & ex illis 12. partibus collectis: qvemadmodum vox possessionis de decimis accipitur Num. XVIII, 21. Nam post absolutam totius terræ per 12. tribus partitionem contulerunt singulæ tribus civitates aliqvot pro habitaculis & decimas pro alimentis Levitarum.

LOCI THEOLOGICI.

I.

De libero ministerii humani usu.

Utitur DEus in administratione rerum suarum ministerio idoneorum hominum pro suo beneplacito & arbitrio, ita ut qvos qvandoq; vult, rude donet, idqve propterea, neqvis putet, *D*Eum hujus vel illius operâ indigere. Ecce non reperiebatur in universo populo, qvi Josuam autoritate, ætate, fortitudine ac multarum rerum experientiâ æqvipararet, ac licet tanto heroë ad devincendos reliqvos populos maximè opus videretur: tamen eo misso vendicat sibi DEus reliqvæ militiæ administrationem, cum dicit v. 6. *Ego sum, qvi deleboeos.* Qvibus verbis Josuam annosi ævi ducem ad humilitatem excitat, reliqvos verò, ne fiduciam in humana solertia ponant, deterret. Multi sunt, qvi veluti Atlas ille negotiorum humanorum onera humeris suis soli sibi sustinere videntur, qvibus defunctis omnia sursum prorsum verti necesse sit: Sed falluntur. Nec enim Deus se patitur certorum homi-

minum officiis astringi, qvos qvamq; diu vult, ad ministerium adhibeat, qvi prioribus similes momentis omnibus excitare potest. Qva de causa præfinit ministerio hominum certos terminos, ut ab ipso potissimum omnium rerum administrationem expectemus & petamus. Si enim in negotiis gravissimis, viri præstantes illorum expeditione citius consenescunt, & per ætatem inhabiles redduntur, ipse DEUS rem ex sententia effectam dabit.

II.

De actionum humanarum imperfectione.

Nemo in eam opinionem delabatur, ac si omnia vitæ suæ tempora plenè & exactè velit perficere. Josua tot potentes Reges trucidavit, tot præsidia expugnavit, urbes delevit: at nihil videri posset, qvod non captum & in Israelis potestatem redactum esset: verùm restat hîc locuples urbium & locorum Catalogus, ubi DEus ipse incolas expulsurum se promittit. Qvare si multis in vita laboribus perfunctus es, cogita, te obeundo diem vel plura vel non pauciora forsan aliis expedienda relicturum esse. Nam non omnia possumus omnes. Et qvemadmodum *Hermes Trismegistus* de scientia dicit: *Maxima pars eorum, qvæ didicimus, est minima pars eorum, qvæ ignoramus*: ita plurima solent restare, qvæ nondum attigimus, qvàm qvæ peregimus.

III.

De usu hostium publicorum.

Ut

Ut omnes hostes uno impetu deleantur, id solet Ecclesiæ DEI plus nocere, qvam prodesse. Hac enim de causa placuit DEO populosissimas gentium regiones multo pòst tempore devastandas reservare. *Causa prima* respectu Judæorum est terræ ædificatio & purgatio. Nam cum in primo ingressu Judæi non sufficerent ad inhabitandum loca omnia, necesse fuisset loca vacua bestiis increscentibus repleri, qvæ Israelitas vel confecissent, vel multis incommodis affecissent. Vide Exod. XXIII, 29. Devt. VII, 21.

Secunda causa est peccatorum ultio. Cum enim DEus ab initio populi nefarias cogitationes & actiones prævidisset, Devt. XXI, 20. & 21. reliqvit multos ethnicos, qvi forent prævaricanti Israel qvasi spinæ in oculis & præacuti pali in lateribus Num. XXXIII. v. 55.

Tertia est exercendæ militiæ occasio. Jud. III, 1. & 2. Unde apparet, qvod DEus pessimis hominibus etiam pro sua sapientia optimè uti norit, ita ut ex illorum vita ad Ecclesiam magna commoda redundent: qvemadmodum nostra tempestate Turcicæ irruptiones & prælia nobis hactenus eo nomine profuerunt, qvod impetiverint persecutiones â Pontificiis dudum nobis mille dolis intentatas.

IV.

De ministrorum verbi & piorum omnium terrenâ felicitate.

Horum typum gerunt *Levitæ*, qvi ut in distributione terræ Canaan locum non inveniunt, sed confe-

run-

runtur illis saltem nonnullæ urbes & decimæ, veluti Eleemosynæ & micæ qvædam de mensis divitum cadentes: Sic *ministri verbi divini non debent sibi promittere preciosos thesauros hujus seculi*, sed terrenas potius opes mundanis Dominis relinqvant; imò qvilibet Christianus contentus sit, si nidulum aliqvem cum pane qvotidiano de universo terrarum orbe possideat, juxta dictum Pauli 1. Tim. VI, 8. *Habentes alimenta & qvibus tegamur, his contenti simus.*

Ut autem Levitarum defectus ea consolatione compensetur, qvod Dominus ipse possessio ac hæreditas ipsorum futurus sit v. 33. Sic qvi Ecclesiæ fideliter docendo præsunt, aut qvi propter veritatis confessionem vix, ubi hospitentur, locum reperiunt, iis non tantùm merces copiosa in cœlis reposita est Matth. V, 12. sed DEus etiam *ipse erit hæreditas & merces illorum valdè magna* Gen. XV, 1. Hujus possessionis ac remunerationis amplissimæ intuitu qvanti æstimabimus universam mundi cum omnibus regiis thesauris opulentiam? Nihili: Hæc est optima hæreditas & potissima, cui æstuante affectu omnes nos inhiare decet. Nam qvi DEum habet hæreditatem, is omnia possidet, *nec ipsi* qvicqvam boni deesse potest, Ps. XXII, 1. & XXXIII, 11. Tali consolatione excitamur ad patientiam & αὐτάρκειαν (*sufficientiam*) ne ægrè feramus & limis oculis intueamur felicitatem aliorum, qvi omnium rerum copia affluunt, nobis egentibus & laborantibus, sed paucitatem æqvi boniq; consulamus, gaudentes de amplissima hæreditate, qvòd DEus ipse nostra futurus sit abundantia, qvi neminem sibi cre-

dentem unqvam ſinet fame extingvi Pſal. XXXVI. v. 25.

V.

De diſtinctione officiorum ratione ætatis.

Poſtqvam Joſue provectam ætatem adeptus eſt, qvi florem virilis ætatis armorum tractatione conſumſerat, tradit ei Dominus diſtribuendæ terræ officium, ut doceat, alia aliis ætatibus convenire negotia. Ad *juvenes & viros* ſpectant negotia cum difficultatibus & moleſtiis gravioribus conjuncta, cujusmodi ſunt militare, proficiſci, navigare & ſimilia: at *ſenioribus* competunt conſilia, preces, aliæq; actiones à qviete minus alienæ, qvas ſedentarias appellare ſolemus. Hinc rectè *Euripides* canit in Menalippe:

παλαιὸς αἶνος· ἔργα μὲν νεωτέρων,
βουλαὶ δ' ἔχουσι τῶν γεραιοτέρων κράτος, *i. e.*

Vetus dictum eſt: Opera qvidem juniorum,
Conſilia verò habent vim ſeniorum.

CAPUT XIV.

POſtqvam duæ tribus cum dimidiâ poſſeſſionis ſuæ partes acceperunt trans Jordanem in plaga Orientali, petit qvoq; & impetrat Caleb pro parte ſua montem Hebron, partim obedientiæ & pietatis, partim benè adminiſtratæ legationis præmium.

Par-